



# Disputatio juridica inauguralis de evictionibus et duplae stipulatione

<https://hdl.handle.net/1874/347252>

39.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**EVICTIONIBUS ET  
DUPLÆ STIPULATIONE.**

QVAM,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ  
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in  
Ecclesiâ Praeconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimeque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS  
Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjecit*

WILHELM van HASSELT, Zutph. Gelrus.  
*A.D. 16. Septembris, horis locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

---

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ioc Lxxxix.

*Amplissimo Spectatissimo*  
*V I R O,*

**D. D. WOLTERO  
R E T Z E R,**

Nuper judici apud Udemenses justissimo , ut & subjacentis terræ ejusdem urbis ærarii Thesaurario Electoris Brandenburgici fidelissimo , nunc vero ejusdem urbis Consuli dignissimo , gravissimo , Agnato meo perquam venerando.

*Juridicam hanc Inauguralem  
Disputationem*

D. D. & C.

WILHELM VAN HASSELT,

AUCT. & RESP.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS.

DE

# Evictionibus & Duplæ stipulatione.

THESIS I.



Ccidentia rerum Creditarum sunt; Pignora, Actiones Ædilitiæ, (quas Justinianus ait esse quasi pedissequas actionum empti & venditi.) Usuræ, Probationes. Quorum primum accidens est ad securitatem, secundum & tertium ad implementum, & quartum ad Probationem. Secundum accidens dixi esse remedium ædilitium, quod Ædilium Curulum edito, ex emptionis & venditionis contractu multiplex competit. Primum remedium est redhibitio, seu actio redhibitoria, ex eo dicta quod res venditori redhibetur, id est redditur. *I. 21. ff. de ædil. edit. & omnia hinc inde restituuntur, ut perinde sit acsi venditio contracta non fuisset. I. 23. §. 7. & I. 60. ff. eod. & I. 9. ff. de alien. jud. mat. caus. fact.* Secundum remedium est actio estimatoria, vel quanti minoris, per quam emptor a venditore partem pretii repetit, ob rei morbum seu vitium, quod a venditore celatum est, id est quanti minoris emisset, si scivisset, *I. 61. ff. de ædil. edit.* Tertium remedium ædilitium est, dupli ob evictionem stipulatio, quam impræsentiarum pro viribus describere est animus; quæ moribus tamen in desuetudinem abiit, ut notat *Groenew. ad Rubricum h. t.* Sed quoniam absurdum esset emptorem & re, & pecunia, ob evictionem, quam

## 4 DISPUTATIO JURIDICA

venditori solvit carere, idcirco venditorem de evictione obligatum habet, alias in simulum, interdum in duplum, id est ex edicto *Ædilium si servum vendiderit, vel ex consuetudine si vendiderit rem aliquam pretiosam.* *I. 37. §. 1. ff. b. t.* sed hæc in usu non sunt, ut notat *Groenew. ad l. 8. C. b. t.*

## I I.

Sed quia hoc remedium (antequam ad ipsam materiam *Evictionum progrederiemur*) ad Curam *Ædilium* pertinet, non abs re erit paucis hic describere, quales sunt ædiles, ad quos ista cura pertinet. Sunt enim *Ædiles Curules*. *Ædilis* est teste *Verrone lib. 4. de ling. lat.* qui ædes sacras & privatas curat. Curules dicti sunt, non a cura ut *Accursius* putavit ad *§. 7. inst. de jur. Natur. Gent. & Civil.* sed a sella Curuli, qua uti solebant. *Plu. in Mario* eos Majores ædiles appellat. *Ædiles curules* creati sunt. A. V. C. *ccccxcvii.* Cn. Quintio Capitolino, & P. Cornelio Scipioni L. Sextio, & Lucio *Æmilio Mamerco* coss. ut *Livius lib. 7.* in initio testatur. Creabantur autem *Ædiles Curules* ex patriciis, non ex plebeiis, horum munus fuit, ludos sacros & solennes instituere ac procurare, sacrarum ædium ac privatarum curam gerere, quod ex *Cicerone Verrina. 7.* intelligitur; sic enim ait. Nunc sum designatus ædilis habeo rationem quid a populo R. acceperim. mihi ludos sanctissimos maxima cum ceremonia Cereri libero, liberaque faciendo mihi *Floram Matrem* populo plebique R. ludorum celebritate placandam; mihi ludos antiquissimos. qui primi romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione, *Jovi. Junoni. Minervaque* esse faciendo: mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam: ob earum rerum laborem & sollicitudinem fructus illos datos, antiquorem in senatu sententiæ dicendæ locum, *Togam pretextam, sellam Curulam jus, imagines*, ad memoriam posteritatemque ponendam. Hæc Cicero; ex quibus etiam quæ insignia honorum ædilibus concessa fuerint cognoscitur. Etiam *Ædilium Curulium* officium erat Curare; ut *Templa, Theatra, stadia, Fora, Porticus, Curiae, & Basilice, atque mœnia, magnificis operibus reficea-*

ficerentur, & ornarentur. Omnia autem maxime ad eos pertinebat causas & lites redhibitionum, id est in quibus agebatur de rei corruptæ vitio, quam quis aut vendidisset aut commutasset, dirimere. Ideoque ubi Kalendis Januariis magistratum inierant, non aliter atque prætores edictum proponebant, in quo, quemadmodum de singulis controversiis juri essent populum præmonebant deinde in sella Curuli confidentes ex edicto suo juri reddebant. Annus quo hic *Magistratus* peti solebat erat, ut colligunt *Paulus Manutius* & alii viri docti xxxvii.

## III.

Sed ut ordine procedat nostra disputatio videndum nobis erit, primo. Quid sit evictio 2. in quibus contractibus evictio locum habet, & in quibus non. 3. Evictionis Requisita. 4. effectus evictionis 5. & ultimo quibus casibus evictio cessat.

## IV.

Evictionum enim tractatus in foro assiduus & maxime practicabilis est, & ex consuetudine contrahentium inductus, quæ efficit hanc evictionem esse de natura contractus, quemadmodum & ipsa contrahentium consuetudo efficit, ut evictio quæ novum factum infert, diversum ab ipsa emptione & venditione, de natura ipsius emptionis & venditionis fieret. l. 31. §. 20. ff. de adl. Edict. Evincere autem in genere est rem auferre in l. 24. ff. b. t. vel contra venditorem venire. Et secundum alios evincere est rem a possessore dominii, vel hypothecæ jure avocare, & per judicem seu per judicium auferre, ut ait *Pomponius* l. 22. §. 1. ff. b. t. Tollere, vel abducere l. 57. ff. b. t. Evictio est, ut definit *Spiegel* in l. 57. ff. b. t. rei empta, aut alia & honesta causa accepta, judicis decreto interposito abductio vel omisso. Velest, ut alii disiniunt, (sed res codem reddit) rei nostræ quam adversarius, legitimo titulo possidet, per judicem qualicunque iudicio facta recuperatio. l. 24. ff. b. t. & l. 56. ff. cod.

## DISPUTATIO JURIDICA

V.

Antiquitus moris fuit, ut si res non Quiritium sed gentium jure abalienaretur, is qui eam acquirebat duplum aut simulum stipularetur, sibi ab authore dari, si ea sibi judicio adimeretur quemadmodum *Varro lib. 2. de re rust. cap. 10.* testatur. Cum autem mancipio res venierat, tum judicij periculum præstabatis, qui eam vendiderat; nam mancipio dare rem nihil aliud erat, quam evictionem promittere, mancipium enim dominium & possessionem, vel dominii traditionem significat. Mancipio vendere, est eas res quæ mancipi sunt ita vendere, libra & ære adhibitis, ut evictionis periculum præstetur. Verum hoc amplius animadverti moris fuisse, ut auctor id est vendor, nexus se dicis causa obligaret, ad rem mancipi, id est emptori perpetuo præstandam. Nexa dicuntur, non tantum quæ abalienata, sed etiam quæ oppignorata sunt. Ut *Cicero lib. 7. Famil. test. Attici proprium te esse scribis, mancipio & nexus, meum autem usu & fructu. Et respondit harusp. multa sunt domus jure mancipi & jure nexi.* Deinceps is qui mancipio vendebat evictionis periculum in se recipiebat, ut *Plantus demonstrat in Persa.* Sic enim loquitur.

*Ac suo periculo is emat qui eam mereabitur:*

*Mancipio neque promittet, neque quisquam dabit.*

Et Paulo post

*Nihil mibi opus est litibus,*

*Quamobrem ego argentum numerem foras?*

*Nisi mancipio accipio, quid eo mibi opus percimonio?*

*Tox nihil periculi videatur, ne metuas*

*Ne quis vero ex Barbaria penitissima persecutatur eam.*

His ex locis facile perspicitur, cum res mancipio non dabatur, periculo emptoris eam fuisse, neque evictionem a venditore præstari solitam; quod si mancipatio adhiberetur, & res postea evinceretur: *Paulus lib. 2. cent. cap. 16.* scribit venditorem autoritatis nomine duplo tenus obligari. Ex quo, consuetudo illa fluxit jure postea confirmata, ut jam in aliis emptionibus stipulatio duplæ interponeretur,

tur, siquidem pretii alicujus res esset, fin minus simplæ l. 37. ff. b.t. Mancipationis igitur & vulgaris emptionis illa fuit differentia, quod in illa evictionis periculum præstabatur, in hac non præstabatur; in illa dupla ipso jure autoritatis nomine debebatur, in hac pri-  
mum non nisi stipulata fuisset: postea tamen propter consuetudinis assiduitatem in empti venditi judicium etiam tacite, & vi bonæ fidei actionis veniebat. l. 31. §. 20. ff. de edil. edit.

## V I.

Dixi in definitione qualicunque judicio, veluti familiæ erciscun-  
dæ, communi dividundo. l. 45. §. 1. ff. de leg. 1. & l. 34. §. 1. ff.  
b.t. Actione noxali. l. 11. §. 12. ff. de act. empt. Actione præjudici-  
ciali. l. 39. §. 3. ff. b.t. Fideicommissi perseguitione. l. 26. ff. eod.  
Actione ad exhibendum l. 3. §. 2. & ult. ff. ad exhib. Restitutione in integrum l. 15. ff. de minor. Præstare evictionem est, cavere de  
damno, quod ego habeo ex eo, quod tu mihi vendidisti rem  
alienam, si verus dominus eam evincat. Ideoque in statutis mu-  
nicipalibus legimus garanderen. Garentare vel gaurentizare est vox  
longobardica, id est patrocinio suo alterum tueri, ut videre est  
lib. 2. f. f. tit. 22. de lege Conradi in fin. princip.

## VI I.

Practici dividunt evictionem, in *propriam*, & *impropriam*, ta-  
citam & expressam. *Propria* est quando res est evicta ratione domi-  
ni, & agi potest ad pretium & duplum. *Impropria* evictio dici-  
tur quando solum pretium venit restituendum. l. 11. §. ult. ff. de  
act. empt. quæ pretii restitutio cuia sit pars evictionis, & id quod  
interest peti potest. l. 60. ff. b.t. *Expressa* est quando res fuerunt  
traditæ, & evictæ post traditionem, & isto casu requiritur sen-  
tentia in l. 3. C. & l. 57. ff. b.t. *Tacita* vero appellatur quando res  
non fuerunt traditæ, nec tradi possunt, sed eo casu debet agere  
ad interesse. l. 1. ff. de act. empt. Quam & alii sicutam evictionem  
vocant.

## VIII. Cau-

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

## VIII.

Causæ evictionis sunt vel quia voluntariè pactus est emptor, sibi præstari evictionem quæ præstatio potest esse & in quadruplum l. 56. ff. b. t. vel etiam ex necessitate juris, & datur in duplum, si res vendita sit pretiosa in l. 37. §. 1. ff. b. t. vel alicui oblata. Simplum præstatur in aliis rebus non pretiosis, sed tamen & id quod interest l. 60. & 70. ff. b. t. Ubi queritur, an vendor necessarie tenetur dare fidejussores, quod negamus sed sufficit nuda promissio l. 37. & 56. ff. b. t. nisi in limine contractus emineat evictio l. pen. §. 1. ff. de per & comm. rei empt. vel pretium nondum sit solutum, non ante tenetur emptor pretium exsolvere quam fidejussore dato vendor caveat. l. 4. ff. & 24. C. b. t. Fidejussor idoneus est qui habet in bonis quantum relevat quod peti potest, ac debetur. Cæterum utrum quis sit idoneus fidejussor judicis arbitrio relinquitur. Tamen debet ejusdem esse fori & conventu facilis, poterit tamen fidejussor ubi coactus fuerit expensas solvere emptori illas repeteret a venditore. l. 4. C. mand. & l. 45. §. 6. ff. eod.

## IX.

Locum habet primo, & præcipue evictio, in *emptione venditione*. l. 60. ff. b. t. Nam cum vendor non solum rem, si dominus est emptori tradere tenetur, sed etiam emptori præstare rem habere, tenere & usucapere licere. l. 11. §. 2. & l. 30. §. ult. ff. de act. empt. Sicut è converso emptor pretium vendoris fieri curare debet, quod si dominus non fuerit, qui vendit, & res evincitur, merito emptori evictionem præstat, quæ præstatio pars est obligationis empti & venditi. l. 66. ff. de contrah. empt. & l. 6. C. b. t. Tenetur vendor ad præstationem evictionis ex natura contractus, & si emptor nihil convenerit de evictione. l. 16. in pr. ff. b. t. & eo magis licet pactus sit in contrarium tamen vendor tenetur l. 6. §. ult. & l. 11. §. 15. ff. de act. empt. Tenetur non solum vendor sed & ejus hæres. l. 9. & l. 18. C. b. t. quocunque gradu constitutus l. 28. C. eod. quod autem vendor tenetur, ratio est, quia rei venditæ possessionem debebat emptori tradere, non vide-

I N A U G U R A L I S. 9

videtur autem res tradita, si alius eam avocet atque evincat. *l. 4.*  
*& l. 11. §. 8. ff. de act. empt.* Procurator quoque si rem vendiderit  
 sub hac distinctione tenetur, nimirum si privato nomine contraxe-  
 rit, obstrictus est ad evictionem, quia privatam ejus fidem em-  
 por secutus est, forte non contracturus si putasset sibi negotium  
 fore cum domino; At vero si procuratorio nomine contraxerit  
 non tenetur, sed tantum debet mandati sui fidem facere, secutus  
 est enim emptor fidem domini non procuratoris, & ideo agen-  
 dum erit cum domino utili actione, ad exemplum institutoriae actio-  
 nis *l. 13. §. 25. ff. de act. empt.* Fidejussor item à venditore datus, &  
 omnis venditori similis conveniri evictionis nomine potest. *l. 7.*  
*C. b. t.* Evictione non tantum locum habet si res una vendatur sed  
 quoque in re universali veluti in hereditate. *l. 8. C. b. t.* Si plures  
 res simul vendantur licet uno pretio, in singulis rebus evictio  
 locum habet *l. 47. & 72. ff. b. t.* In evictione emptor adversus  
 venditorem semper habet regressum. *l. 1. ff. b. t.* Nimirum si res  
 tempore venditionis fuerit in eo statu ut evinci potuisset non au-  
 tem si causa evictionis post contractam venditionem emergat. *l.*  
*11. ff. b. t.*

X.

Secundo locum habet evictio in permutatione *l. 1. §. 1 ff. de per-*  
*mut. & l. 29. C. b. t. & l. 2. C. de permut.* est enim venditioni similis  
 permutatio, ita ut à veteribus jurisconsultis dubitatum fuerit,  
 idemne esset permutatio quod emptio. *§. 3. inst. de empt. vend.* illa  
 tamen differentia est, quod de re empta evicta datur actio ex em-  
 pto. *l. 6. C. b. t.* At de re permutata evicta datur actio præscriptis  
 verbis. *l. 5. §. 1. ff. de præscrip. verb.* Et à qua permutatione vendi-  
 tio originem suam habuit, ut explicat Paulus Jctus. *l. 1. ff. de*  
*contrah. empt. & l. ult. ff. ex quib. caus. in poss. eat.* ex qua nedum ad  
 bona, sed etiam ad pretium, & ad interesse pro evictione agi po-  
 test *l. 122. §. ult. ff. de V.O.* Imo & fortius arguendo, ab utili-  
 tate & dignitate contractus, quippe permutatio dignior & con-  
 trahentibus, utilior quam venditio. Permutanti quoque datur  
 regressus ad rem suam, si adversarius rei datæ non transtulit domi-  
 num.

## 10 DISPUTATIO JURIDICA

num. l. i. C. de rer. permut. Secundo datur regressus ad rem existentem penes tertium , si res sibi data fuerit evicta , nam idem est quod res non tradatur , vel quod tradita sit exicta l. 82. ff. de leg. i. quando res permutata fuit evicta datur præter actionem. præscriptis verbis ut statim dixi. Condictio sine causa. l. i. C. de rer. permut. & l. fin. ff. de cond. caus. dat. caus. non secut.

## X I.

Tertio præstatur evictio in hæreditatis divisione l. 66. §. ult. ff. b. t. etiamsi non fuerit promissa , ut Glossa notat ad l. 25. §. 1. ff. fam. ercis. Ratio est , quia divisio hæreditatis est similis permutationi. l. 7. §. 13. ff. comm. Divid. & l. 77. §. 4. & 8. ff. de leg. 2. & permutationi similis est emptioni venditioni. l. 19. §. 5. ff. de adil. edict. ideo evictio debetur pro ut in contractu permutationis , & emptionis. Hæreditatis vendor ita demum de evictione tenetur , si illa alteri tanquam hæredi fuerit adjudicata , non etiam si ex ea res , aliquæ a dominis earum ablatæ l. i. C. b. t. quia ipsum jus successio- nis , ipsaque univeritas augmenti & diminutionis capax , in venditionem venit , non res singulae , quas proinde si habere veli- emptor , possessoribus sumtu ac periculo suo persequi debet. d. t. i. C. b. t. Non item ob earum rerum evictionem agere adversus venditorem , quem extra periculum ponit quod hæreditatem vendiderit , jusque universum , non res singulas , nisi aliud actum sit , id est convenit ut vendor rerum singularum evictionem præstaret nam servanda & præstanta est conventio , aut de substantia hæreditatis affirmaverit , sive dixerit , has aut illas res esse hæredi- tarias : quare si postea hæ res evincantur , evictionem præstabit , quia ita affirmavit ut præstaret , cum ideo pluris vendiderit. l. i. ff. de hered. vel aet. vend. & l. 45. ff. de contah. empt. A. vinn. sele- etarum quæstionum lib. 2. cap. 8. Quod de hæreditate vendita dictum est , id etiam obtinet si quodlibet aliud jus veneat , non corpus ; veluti si veneat peculium servi , nomen debitoris ut syn- grapha seu cautio , quæ sunt nomina juris non corporis , & enim vendor duntaxat præstare debet ut sit peculium vel ut sit nomen ; item dolum malum , non etiam ut obtineatur aliquid , vel fera-

TUR

# I N A U G U R A L I S.

etur ex peculio, aut nomine seu actione vendita. *l. 5. ff. b. t. l. 4. ff.*  
*de hered. vend. & 74. §. ult. ff. h. t.* Unde nec beneficium *legis 2. C.*  
*de rescind. vend. locum habere in hæreditate vel actione vendita,*  
*recte statuunt juris interpres, quod si hæreditatem vel actionem*  
*sibi non competentem vendiderit, nullum est dubium quin hoc*  
*casu evictionem præstare debeat. per dd. II. præterea præstatur evi-*  
*cio in *devisione rerum singularum l. 7. C. i. Commun. utrius.**

## X I I.

*In datione in solutum evictio quoque locum habet l. 4. C. b. t.*  
*quia dationis in solutum contractus non differt à venditionis con-*  
*tractu, imo pro venditione habetur l. 4. C. b. t. sed tamen pluri-*  
*mum interest an pro pecunia numerata quæ debebatur, data fue-*  
*rit res in solutum, an vero pro specie aliqua. Nam si pro pecunia,*  
*quasi emptio contracta erit, & utili ideo actione ex empto agitur*  
*d. l. 4. C. b. t. & l. 24. in pr. ff. de pign. action. si autem pro specie,*  
*permutatio, aut contractus similis permutationi, unde re evicta*  
*non actio utilis ex empto dabitur, sed agetur pristina actione l. 8.*  
*C. de sent. & interl. & l. 46. ff. de solutionib.*

## X I I I.

*Locatio & Conductio etiam evictionis præstationem in se suscipit*  
*l. 9. ff. locat. quippe emptioni vicissimam §. 1. inst. locat. & l. 2. ff.*  
*eed. Nam si quis domum bona fide emptam vel fundum locave-*  
*rit, eaque sint evicta, quamvis dolo malo culpave ejus, placet ni-*  
*hilominus teneri eum ex conducto ei qui conduxit, ut ei præste-*  
*tur frui, quod conduxit licere, ut totidem verbis scriptum est in*  
*d. l. 9. ff. locat. quo significatur nisi id præstetur agi ad id quod*  
*interest, ut sit in omnibus faciendi obligationibus l. 1. ff. de act.*  
*empt. Et per consequens evictio præstatur in Empyteni, & in*  
*fendo. lib. 2. feud. tit. 6.*

## X I V.

Denique evictio præstatur in *transactione*, quo ad rem quæ pro

## 12 DISPUTATIO JURIDICA

litis aestimatione est praestita, non vero quod ad rem de qua adhuc est controversia. *l. 33. C. de transact.* Cujus duæ sunt species, prior est, qui fundum petebat transigit cum possessore hac lege, ut is retento fundo daret prædium aliud liberum; dedit aliud, sed oppignoratum, vel ex parte alienum. Hic actor soplitam transactione litem instaurare non potest, sed possessorem tamen vel ex stipulatu, vel actione præscriptis verbis convenire non prohibetur. Posterior species est, fundus, quem pestebat actor ei est restitutus, sed evictus postea. An possessor ei tenetur de evictione. Neg. in *d. l. 33. in fin. C. de transact.*

## X V.

Porro a Contrario non præstatur evictio in *simplici donatione* *l. 18. §. 3. ff. de donat.* Donatio enim emptioni plane est dissimilis, cum sit ex causa lucrativa; Itaque si quis rem alienam donavit ea que donatario evicta est, non tenetur donator de evictione, etiam si id pacto comprehensum sit, sed opus est stipulatione. (quamvis istud discrimen pacti & stipulationis moribus sublatum sit.) *l. 2. C. b. r.* cuius major vis est quam pacti licet statim adjecti. Nam evictio non sit nisi ratione pretii quod abest non autem abest donatario, cum donatio sit liberalitas quædam; & odiosum esset donatorem, ex sua liberalitate hanc molestiam pati, cum tamen non intelligatur plus juris donare voluisse quam ipse in re donata habebat; Neque præsumendum est quod ipse voluerit se subjicere periculo evictionis. Præterea si propter evictam rem donatam pretium posset repeti a donatore, is suæ liberalitatis pœnam patetur. *l. 62. ff. de edil. edit.* Et si autem donator de evictione citra stipulationem non tenetur, tamen si sciens rem alienam donavit ignorantι, datur decepto actio de dolo, ratione sum tuum quos in rem donatam fecit, eorum enim abest pretium dolo donatoris, qui non debet alteri obesse. *l. 8. §. ult. ff. b. r. & d. l. 62. ff. de edil. edit.*

## X V I.

Evictionis quoque judicio in *dote* locus non est. *l. 2. C. de jure dot.*

*adv.* Nisi possit probari rem alienam dolo malo in dotem esse datam, tum enim si illa res evincatur a domino, maritus experiri potest condicione ex lege, vel ex stipulatione, si sit interposita, quia in re aliena data non est satisfactum obligationi. At vero si nec pollicitatio nec stipulatio intercesserit, res tamen aestimata in dotem data fuerit, datur marito adversus mulierem utilis actio exempta, ad id quod interest quoniam vera venditio contrahitur per hujusmodi estimationem. Quod si nec aestimatio nec promissio intervenerit, sola super est actio de dolo, si sacer alienum fundum in dotem scienter dederit, seu uxor convenitur actione in factum. *l. i. C. de jur. dot.* Extraneus autem qui eundem fundum dedit, eo evicto, de evictione convenire non potest, quia est mera donatio sponsæ facta, & proinde donator non tenetur de evictione uti dictum.

## X V I I.

In legatis evictio locum non habet, quia legatum species quædam donationis est, & non videtur legans nisi jus quod circa rem habet legasse *l. 71. §. fin. ff. de leg. 11.* Hinc si testator certam speciem legaverit eamque disignaverit, ut puta stichum, talis tantum dari debet qualis est, *l. 45. in fin. ff. deleg. 1.* & traditione facta liberatur hæres ab obligatione, nec succedit obligatio ad interesse re evicta, quia lucrativa causa non est sua natura evictioni obnoxia. Nisi testator sciens rem alienam legaverit ab hæredi: quia ex conjectura voluntatis præsumitur testator hæredem onerare voluisse periculo evictionis per *l. 36. ff. de usuf. leg.* at vero si res legata sit ingenera, ut puta homo, & hæres stichum tradiderit, isque evincatur, poterit legatarius iterum, ex testamento agere, ut homo ei detur, *l. 29. §. 3. ff. de leg. 3.* Quando enim res in genere legata est, conjicimus eam esse voluntatem testatoris ut talis homo detur, qui erit futurus legatarii, ne sit in potestate hæredis alienum tradendo voluntatem testatoris elusoriam reddere. *l. 58. ff. b. v.*

## X V I I I.

Controvertitur, an evicto pignore distracto creditor, de evi-

B 3 ctione

## 14 DISPUTATIO JURIDICA

&ione tenetur. Distinguendum utrum jure creditoris distraxit, an jure communi. *l. 11. §. 16. ff. de ait. Emp. & l. 1. & 2. C. cred. evict. pig. non deb.* jure communi vendere dicitur creditor, qui non tanquam creditor rem pignoratam sed tanquam quilibet dominus rem suam vendit: quo casu ea omnia emptori præstare debet quæ jure communi continentur; ut vacuam possessionem, evictionem. Jure creditoris sive jure proprio vendit, cum tanquam jure pignoris rem alienam, sed sibi oppignoratam vendit, tum evictionem non præstat. *dd. II. De servitutibus* adhuc dubium, sed affirmantium conditio mihi placet per *l. 15. §. 1. ff. b. t.* Neg. vero in *l. pen. ff. b. t.* sed opus est distinctione, nimurum si servitus per se vindicatur evictio locum habet, non autem si accessionis nomine vel loco vindicatur.

## X I X.

Ut ergo res emptorie victa intelligatur quo nomine sit actio emptori adversus venditorem tribus his rebus centinetur; ut res sit ablata emptori, ut ablata judicio, ut judicio & jure, ob id quod res esset aliena, aut pignori obligata vendita. Illud ante omnia exigit evictio, ut res auferatur emptori, sive ut spes omnis habenda rei abscissa sit, quæ si illi aliqua super est ante abductam vel ablatam rem, nulla est ei de jure habenda rei actio, quia rem, habere ei licet. *l. 35. & l. 57. ff. b. t.* Ideo nec quæstione de proprietate emptori mota interim vendor conveniri potest ad pretium restituendum *l. antep. §. 2. ff. b. t.* Nam si ante pretium solutum dominii quæstio mota sit, justus emptor pretium solvere recusabit, nisi fidejussores idonei a venditore evictionis nomine offeruntur. *l. pen. §. 1. ff. de pericul. & Comm. rei vend.* secundum exigit evictio, ut res ablata sit judicio, dum sententia judicis pronuntiatum est rem venditam esse petitoris, aut illi pignori obligatam *l. 24. ff. b. t.* si vero per arbitrum sententia lata est emptor non habebit regressum contra venditorem *l. 56. ff. b. t.* Tertium proprium evictionis est, non solum ut res auferatur judicio, sed etiam petitionis jure, vel quia res ejus fuerit cum veudita est, vel quia illi obligata pignori. *l. 63. §. 1. ff. 14. l. 15. c. b. t.* Hoc jute res judicio evicta

evicta videbitur si non alia res probabitur causam dedisse evictioni.  
Quod si probabitur nulla erit ob evictionem actio.

## X X.

Tres res aliae quam superiores evictioni causam dare possunt. Culpa emptoris, judicis injuria, & publicatio rei venditæ. De prioribus duabus nulla dubitatio quin ultra earum rerum quid evictum erit non sit actio, eo nomine adversus venditorem. *I. i. C. de res. perm.* Culpa triplex emptori objici potest cur victus sit de re vendita, totidem causæ ad inhibendam actionem pro evictione. Principio lice ei mota jubetur in primis laudare autorem suum, id est denuntiare venditori scienti & præsenti litem sibi esse motam. *I. 7. & C. b. t.* ut adsit emptoremque evictionis nomine defendat ab eo postulare debet *I. 59. §. ff. b. t.* Defensio venditoris debet fieri in foro emptoris, nec potest uti privilegio sui fori *I. 49. ff. de jud.* quia lis est principaliter cum possessore id est cum emptore, venditor tantum liti assistere vel subsistere dicitur *I. 29. §. ult. ff. & I. 28. C. b. t. & I. 51. §. 5. & I. 139. ff. de V. O.* Nempe quia hac denuntiatione omissa emptor sua culpa vinci intelligitur, cum enim agatur de re venditoris potuit is melius scire quid hic sui juris esset, quas ad rem venditam tenendam defensiones aut probationes haberet; quia ideo emptori omisæ sunt quia venditori in tempore non denuntiavit ut jus suum tueretur. Denuntiare emptor non præcise & omnimodo venditori cogitur, sed ita demum si vendor præfens sit, sed etiæ per præsentiam fiat quo minus denuntietur, nihil nocet omisæ denuntiationem *I. 55. §. fin. ff. b. t.* Quo tempore denuntietur ut de re agenda adsit statimne an post litem contestatam nihil interest, dummodo denuntietur tempestive, & eo tempore quo integra sunt jura ipsius defensiones. *I. 29. §. fin. ff. b. t.* & ante rem judicatam vel conclusionem causæ, ut sit venditori satis temporis ad expediendas sui juris defensiones. *I. 62. §. ult. ff. b. t.* Nam conclusio claudit viam probationi, nec mirum si tunc non prodest denuntiare. Proxima culpa emptoris est, si absente auctore, aut autoritatem seu defensionem defugientem emptor ipse judicio non adsit; nam dum vendor adesse velit, & causæ de-

fenſe.

## 16 DISPUTATIO JURIDICA

fensionem suscipere, nihil necesse est emptorem in re aliena satagere. At vero si venditor defensionem negliget, tum hoc ex bona fide injungitur emptori ut ipse saltem causam agat ut potest, & si quas habet defensiones aut probationes, aut ex persona sua aut ex persona venditoris his utatur, quoniam & jure uti potest l. 28. C. b. t. si secus facit placet re evicta denegari ei actionem, tanquam magis sua culpa victo quod abesset, quam quod malam causam haberet l. 55. ff. b. t. Hoc tamen ita, nisi res evicta sit ab ipso venditore quem quidem vindicantem quod ipse vendidit constat exceptione doli mali posse ab emptore summoveri, si tamen hac exceptione omessa passus sit emptor se condemnari, placet nihilominus venditorem evictionis nomine posse conveniri. l. 17. 18. & 19. ff. b. t. Tertia culpa emptori objici potest, quamvis denuntiaverit auctori suo, & illo recusante sedulo causam egerit, si exceptione aliqua quæ ei ex facto suo obstat remotus sit, quamobrem & hoc casu regressum adversus venditorem non habet. l. 27. ff. b. Quippe etum illi suum non adversario nocere debet. l. 155. ff. de R. f.

## XXI.

Quod facit culpa emptoris id facit injuria judicis ne evictio venditori noceat. l. 15. c. b. t. & l. 1. c. de rer. perm. Neque hic quidquam interest utrum pecuniae corruptus judex, aut alias dolo malo male judicaverit, an imperitia & errore. l. 51. ff. b. t. si hic queritur quomodo hic probetur corruptela judicis aut imperitia, non est in eo anxie laborandum. Nam si actor allegaverit præscriptionem longi temporis quam & probaverit, si actori opposuerit exceptionem rei adversus eum quandoque judicatae de eadem re, aut exceptionem pacti conventi ne eam rem peteret, & judex harum exceptionum rationem non habuerit, satis argumenti est judicem injuria judicasse, cum de ejus injuria constabit nihil necesse est quærere utrum sordibus an imperitia male judicaverit, cum utrum horum factum sit nihil interesse dixerimus.

## XXII.

## X X I I.

Publicati fundi venditi paululum alia causa est. Hoc convenit, quod cum fundus venditus priusquam traderetur publicatus est, non tenetur venditor in id quod emptoris inter est quasi evicto fundo. *l. 33. ff. locat.* Non enim ideo ablatus est quia vendoris non esset, cum venditus est sed contra quasi alienus fuerit *l. 63. §. 1. ff. & l. 27. C. b. t.* illud dissidet, quod fundo publicato saltem haec tenetur vendor, ut pretium restituat *l. 33. ff. locat.* merito; non nulla enim ejus culpa est quod sit evictus; quod si in alliis partibus omnibus culpam praestare debet. *l. 11. ff. de per. & comm. rei vend.* Æquum est cum hanc ipsam saltem haec tenus praestare, ne pretium retineat pro re, quam culpa sua non praestitit.

## X X I I I.

Quibus remotis, & similibus quæ evictioni contraria esse diximus si tria illa concurrant, ut res emptori sit ablata, ut ablata iudicio, ut ablata jure, quia res cum ab initio in ea causa fuerat emptori avocari possit, tum demum res evicta est, ita ut quærimus sitque eo nomine emptori actio ex empto ob evictionem adversus venditorem, est in *l. 11. ff. b. t.* partem hic intelligimus non tantum corporalem sed etiam partem emolumenti rei, veluti usum fructum ut si forte in re vendita alienus fuerit, & ab eo cuius erat evictus emptori, etiam hujus nomine actio competit ob evictionem *l. 36. & 43. ff. b. t. & l. 38. §. 3. ff. de V.O.* Quare & de eo quod emptioni accessit si evictum sit eadem erit actio: postquam ita placuit quod emptioni accedit partem venditionis esse *l. 31. §. ult. ff. de adil. Edict.* Quinimo & in actione ex empto: quoniam placet homine vendito non tantum hominem, sed & partum ancillæ, & si qua hereditas aut legatum per servum acquiri potest, omne emptori praestare debere, ut habere ei liceat. Etiam illud probandum est si quid de his evictum sit agi ex empto posse. *l. 8. ff. b. t.* Est autem actio ob evictionem non ad pretium duntaxat recipientum, sed in id quod emptoris interest *l. 70. ff. b. t.* In quo continetur non tantum res vendita, sed etiam quæ inde nata quæ sitave


C sunt,

sunt, aut acquiri postea potuerunt. *l. 8. ff. b. t.* Item & pretium rei, non quanti emptor emit sed quanti alii vendere potuit, ut id pretium certò ex re vendita consequeretur. *l. 1. in pr. ff. de act. empt.* ut si emerit ædes mille, & tunc evictæ sunt, cum certo potuerit uendere duobus aut tribus millibus etiam hujus commodi ratio habebitur in estimatione ejus quod interest; inter esse emptoris consideratur non solum respectu damni emergentis, sed etiam respectu lucri cessantis amissi provenientis ex illa re empta. Repetet & emptor hac utili actione exempto, impensas cum omni damno & sumtus litis. *l. 9, 16, & 17. C. b. t.*

## XXIV.

Interdum tamen ob evictionem cessat actio quamvis re legitime evicta, ita ut supra dictum est. Quod accidit partim emptoris culpa, partim quia id actum est. Culpa emptionis oblitabit ei, si sciverit rem venditam alienam esse, aut pignori obligatam & nihil ominus emit. *l. 27. C. b. t.* Apparet enim cum qui id facit rem tamem emere qualis est, ut si postea evincatur ipse de se queri debeat, qui a se decipitur non a venditore. *arg. l. 1. in fin. ff. de act. empt.* & *l. 26. ff. de rei vind.* adeoque eum qui ita sciens emat placet regressum adversus venditorem non habere ut ne repeteret quidem possit quod dedit, nedum agere in id quod sua interest *l. 27. ff. b. t.* nisi si nominatim sibi de evictione caverit *l. 27. C. b. t.* si aperte convenit ne vendor evictionis nomine teneretur, nemo dubitat quin aperta ista conventio omnium maxime servanda sit ex edicto de pactis, sed ne nos fallat quasi omnino servanda sit, haec notabimus. Nam primum sciendum est, hanc conventionem non prodesse venditori, si forte sciens alienum vendat; tunc enim debuit potius indicare id emptori, quod quia dissimulavit quacunque conventione voluit sibi cavere decepit emptorem; semper enim dolum bonæ fidei judicio praestare oportet *l. 11. in fine l. 1. §. ult. & l. 6. §. ult. ff. de act. empt.* & *l. 43. §. ult. ff. de contrah. empe.* Tum autem ut maxime vendor ignoravit alienam rem esse, de cuius evictione supra sibi cavit se non teneri, tamen in d. *l. 11. ff. de act. empt.* de sententia Juliani scriptum est, effici qui-

quidem hac conventione ne utilitas debeatur, id est ne teneatur venditor ad id quod emptoris interest ne scilicet conventio sit inutilis cæterum re evicta pretium saltem ab eo deberi. Hoc quidem ex verbis contra videri poterat, cum generalis sit conventio ne venditor teneatur, sed cum in generali oratione semper excipiatur quod sit iniquius & naturæ contractus minus conveniat, quasi de eo contrahentes non senserint. *l. 67. ff. de R. f.* Recte conventio superior ita accepta est, ut non videtur contrahentes de pretio etiam non reddendo sensisse, quia a bonæ fidei contractus natura & æquitate esset alienum. Neque bonæ fidei contractum hac pati conventione, ut emptor rem amitteret & pretium venditor retineret. Cessat præterea evictio si emtor transigerit *l. 53. ff. b. t.* quia nulla necessitate cogente id fecit. *l. 56. §. 1. ff. b. t.* Cessat cum appellandum esset si tum non appella verit. arg. *l. 8. §. 8. ff. mand.* Denique cessat ob evictionem actio ob causum fortuitum *l. 26. C. b. t.* si propter vim & impressionem alterius rem emptori habere non liceat. *l. 11. l. 21. in pr. ff. b. t. & l. ult. C. de aft. empt.*



# COROLLARIA.

*Dolus dans causam contractui bona fidei  
reddit contractum ipso jure nullum.*

*Bona fidei posseſſor omnes fructus irrevoca-  
biliter suos facit.*

III.

*Fidejussor in Majorem summam obliga-  
tus quam debitor principalis omnino non  
tenetur.*

F I N I S.